

37

7

DE
CONTAGIO NATVRALI
AB INSITIVIS VARIOLES
CIRCVMSPECTE
ARCENDO

* * * * *

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITENQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. I. MAII CICCLXXX.

IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGICA
DOCTORIS DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

SAMVEL GODOFREDVS LEISSNER,

LESNA - POLONVS,
AVGVSTISSIMI POLONIARVM REGIS
¶ CONSILIIS AVLICIS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.



Lever, 7

COPTACIO MALARIA
ERINNELLAES ALLEGORIE
GIRGULABRIGE
ALGENDO

LETTO IN MUNICIPALIS HARTMANNI
AD D. X. M. C. 1735
IN VITE MEDICO ET CHIRURGICO
DOCITORIS DINGENITATIS
REGIUM CAPITULARE
SAMUEL GODOLPHUS FIZZINTI
LITERA LONDONIA
A ROMELIA VALLIEZ

TRIMICIA AD MALARIA
A THOMAS WINTERIANO

ILLVSTRISSIMO MAGNIFICOQVE
DOMINO
CASIMIRO
COMITI
a RACZYŃ, RACZYŃSKI,
GENERALI MAIORIS POLONIAE, VSTENSIS,
PILENSIS ETC. CAPITANEO, INSIGNIVM
AQVILAE ALBAE ET SANCTI
STANISLAI EQVITI,
DOMINO SVO
INDVLGENTISSIMO,

IN LIBRARIA UNIVERSITATIS SAXONICAE

SUMMAE REVERENTIAE

EXQVISITIQVE OBSEQVII

TESSERAM

COMITI

OPVSCVLVM HOC ACADEMICVM

SVBMISSÆ

DAT DICATQVE

T A N T I N O M I N E S

OBSEQVIOSISSIMVS CVLTOR


SAMVEL GODOFREDVS LEISSNER.



PROOEMIVM.

Nae! ego non eram nescius, lectores, cum, quae summis ingenii exquisitaque doctrina medici iam suis absoluisse commentariis videri possunt, varia ad variolarum infisionem spectantia recolermus, fore, ut haec nostra opera in nonnullas incurreret reprehensiones: quibusdam enim,

A et




et iis quidem nominis celebritate illustribus,
totum hoc displicet, inferere variolas; qui-
dam vero non id tam reprehendunt, si cir-
cumspexitius agatur: sed omnem tamen
hanc rem, si vel summa adhibetur cura,
ancipitis esse euentus periculique plenam,
arbitrantur. Erunt, qui Anglorum non-
nullorumque Gallorum hoc in negotio in-
dustriam dexteritatemque potissimum su-
spiciunt, reliquarum gentium conamina
contemnentes, qui se dicant Anglicis Galli-
cisque legendis operam malle consumere.
Postremo futuros suspicor nonnullos, qui me,
quippe parum noti nominis hominem, ad
alia scribenda vocare malint: argumentum
hoc differendi, etsi sit nostris temporibus ac-
commodatum, personae tamen et au^torita-
tis esse negent. Contra quos omnes breui-
ter dicendum existimo. Quanquam infitio-
nis quidem variolae vituperatoribus satis
responsum est passim a doctissimis viris: mal-
lem tamen, suo istos abundare ingenio,
quam

quam acriori disputatione ad grauiora contra insitius variolas odia incitari. Qui autem, si maxime hoc probent, a metu tamen, nescio quo, nos haud securos esse iubent, nostro saltem consilio melius sibi a variolarum insitione temperabunt, ne ipsos inanis coquat cura, versetque sub pectore fixa; nec in re eo meliori, quo fructuosior est, intempestiuam ab aliis temperantiam desiderabunt. Nec difficilis est iis satisfacere, qui Anglos Gallosque scriptores reliquis anteponunt. Quasi vero haud praestet, si alii quoque nouo argumentorum exemplorumque apparatu tuentur ea, quae dicta sunt ab iis, quos ipsi probant suspiciuntque. Qui denique autem haec a nobis scribi nolunt, aequi esse debent, nec offendи nostro hoc haud illiberali labore, quem oblatae adiuerunt opportunitates, foras edi variae officii obsequiique rationes iusserunt. Nolite autem opinari, letores, a nobis praesenti commentariolo inferendarum variolarum

A 2

mo-



modum expositum iri; hoc enim esset profecto post Homerum canere Iliada: sed vi-
sum est nobis commodum differendi argu-
mentum et ad ciuium usus non inutile, si
saepe numero neglectam, nec ab aliis scri-
ptoribus satis diligenter tractam cautionem,
qua ab *in situis variolis naturale contagium ar-
cetur*, curate commendaremus. Nos autem
hanc omnem hac de cautione quaestio-
nem ita tractabimus: ut *primo* exemplis le-
ctores instruamus nostros; *dein* vero eadem
ad suas reuocemus rationes, atque ex iis-
dem salubria deducamus praecepta, iis, qui-
bus inferuntur variolae, certioram praesti-
tura securitatem.

SECTIO



SECTIO PRIOR HISTORICA.


§. I.

Differendi occasio.

Tametsi Polonia nostra plurimis excellentis ingenii viris, qui multiplici optimarum artium scientiarumque doctrina abundant, haud adeo est infoecunda: debetur tamen hoc fatis medicinae, scientiae profecto ceteris neutiquam ignobilioris, quod, ad nostra vsque tempora, non acque, ac inter reliquias cultioris Europae gentes, apud nos caput extollere posset, licet forte nullibi terrarum saluberrimae huius artis cultores maiori Maecenatum munificentia excitentur. Tantum quoque abest, ut variae periclitationes clinicae, quibus nostra patrumque memoria rei medicae incrementa sollertes viri haud infeliciter adiuuerunt, a nobis protinus imitando repeti possent: ut potius huius generis varia, ad aemulandum proposita, exempla suos nunc demum satis sero inueniant imitatores, postquam eadem in omni fere, quae circumiacet, vicinitate vnu quodammodo inueterascere coeperunt. Variolarum infestionem, verbi cauffa, quid memorem, Ruthenis, Suecis,

A 3

Da-



Danis, Boruffis, aliisque, qui nos contingunt, populis abunde satis familiarem? Quid nos vero? longe sequimur, et tandem aliquando aliorum infistimus vestigiis. Quoniam igitur inter Polonorum primos et ego variolas inferere ausus sum, nec sine felici conatum meorum successu, non ingratum fore lectoribus, existimau, si primorum horum tentaminum exempla, praesenti hac usus opportunitate, breuiter recenserem. Sed ad haec alia accessit scribendi occasio. Non eundem vtriusque exempli, quod exposituri sumus, fuisse euentum, deinde intelligent lectores: licet vterque aegrotus eodem optimae naturae pure varioloſo per infisionem effet infectus; defumto quippe ex homine, in quo naturales variolae erant benignissimae, distinctae, et a iusta suppuratione perfecte turgentes. Hanc igitur dissimilis successus cauſam exquirere, et inter necessarias referre cautiones, ad quas futuros variolarum infidores attendere oportet, nostri existimauimus officii.

§. II.


Infisionis πρωταρασην.

Vt autem salutaris artis doctrina excellentes vi-
ri cognoscant, nos in instituenda variolarum infis-
ione

ne nihil temere egisse, nec, vt nunc passim fit, imparatos infecisse hoc contagio, nostra refert antea, quam in ipsis versabimur exemplis, omnem istam diaetae viuendique generis enarrare rationem, cui eos obstrinximus, qui insitius variolis a nobis erant imbuendi. Atque haec infisionis variolosae ~~apora-~~
~~parkevη~~, si recte iudicamus, tribus potissimum sequentibus absoluitur praeceptis: *primo*, si ille, cui proxime immittendum inferendo est hoc contagium, maxima sanguinis abundat copia, hanc quodammodo imminui oportet, vt securitati aegrotantis, infisionis periodo, prospiciatur; *dein*, si imbecillior est natura, excitanda nonnihil est et firmando; ventriculo *denique* et intestinis molestiae crudaequemateriae ne relinquantur, sed, quantum accuratissime fieri potest, exterminentur. Satisfecerimne huic proposito in illistribus illis personis, quarum exempla deinceps enarraturus sum, nunc ipsi me existimatote, lectores. Interdixi nimirum iisdem omni carnium, et exinde paratorum iuscotorum, itemque butyri caseique esu, nec non cereuifiae aliorumque potulentorum, quae fermentando conficiuntur, potu; abesse quoque iussi omnia aromata et quaecunque alia, incitando sanguini ceteroquin idonea. Contra ea viatum imperavi vegetabilem, verbi causa, ptisanaria
 ali-



alicae auenaceae hordeaceaeque, lacticinia cum oryza, et alia farinacea; itemque obsonia ex oleribus, radicibus esculentis, fructibusque horaeis, atque his quidem tam crudis, quam coctis. Ouorum nullus fuit vsus; nisi quod parce cum butyro farinaceis intermiscerentur cibis. Omni vero cura caui, ne nimia satietate ventriculus praegrauaretur. Atque haec fuit totis tribus ante infisionem diebus viuendi institutio. Praeter haec vero, dicti temporis interiectu, ternis vicibus puluis, ex calomelanos et pulueris e cancerorum chelis compositi aequali quatuor granorum portione vnoque sulphuris antimonii aurati tertiae precipitationis grano constans, cubitum ituris cum syrupo quodam datus est, deinde postero die mane conueniens salis mirabilis Glauberiani dosis, soluendae aluo inferitura, superaddita, hausto insuper auenae decorticatae decocto. Quibuslibet autem his diebus καθαρισμοῖς permisi tenuioris carnium iuscui vsum: tantum ut crudorum fructuum horaeorum esu abstinerent, cauens. Quem vero antea dixi, pulueris primam dosin octauo post coepitam πρωταπασχενήν dedi die; quatuor diebus post alteram; tertiam denique proxima hinc hebdomade elapsa: cui dein postero die medicinam superaddidi, quam recensui, mouendae aluo aptam. Atque
fic



sic demum subsecutus dies instituenda variolarum
infitioni est destinatus.


§. III.

Infitionis variolosae primum exemplum.

Ergo die XVIII. Septembris anni clo lo CC LXXIX.
felici ausu *illusterrimae Comiti, RACZYNSKA,* tre-
decim annos natae, filiae *illusterrimi magnificique*
Comitis a RACZYN RACZYNSKI, generalis maio-
ris Poloniae, et cet. *Capitanei, ordinumque aquilae*
albae et sancti Stanislai equitis, sequentem in mo-
dum inseui variolas. In vtroque nimirum brachio,
ad illum locum, quo musculus biceps et brachialis
internus se contingunt, lanceola leuissime incidi cu-
tem, eademque lanceola recenter exceptum pus va-
riolosum vtrique vulnusculo immisi, nullo cetero-
quin, vt alias moris est, adhibito filo atque empla-
stro. Die XIX. Septembris perfecte adhuc valebat
aegra, et, meo consilio, vt animum relaxaret, car-
pentio est vecta. In locis incisis nulla animaduerte-
batur mutatio. Nox succedens quieta. Die XX.
et XXI. eiusdem mensis bene valebat aegra; cibo-
rum appetitus rectus, somnusque subsequuta nocte
placidus. Qui succedebat, dies nullam attulit mu-

B

tatio-



tationem: si leuissimam, in vulnerum incisorum labiis ortam, excipias inflammationem, armato oculo manifestius spectandam. Digito autem, incisa loca moderate prementi, quibus tenerior superinducta erat crusta, in ipso vulnerum fundo aperte renitebatur parua quaedam duries, aegrota ceteroquin belle valente atque quiete dormiente. Die XXIII. Septembris a nudo oculo labia vulnerum maiori incendio tacta atque eleuata distincte conspiciebantur. Ceterum adhuc commode valens aegrota non habuit, de quo quereretur; praeterquam quod subinde sub alis, ad confinia subaxillarium glandularum, aliquam tensionem sentire sibi visa est. Ciborum appetentiae somnique eadem, quae priorum dierum, fuit ratio. Idem prorsus proximo die aegrotæ statutus. Vicefimo quinto autem Septembris die, qui erat ab incisione octauus, ebulliebat, quod medici aiunt, variolosa febris: quippe doluit nonnihil caput, artusque quasi grauans pressit sensus; arteriae pulsus conceperunt celerem plenumque; incisorumque locorum margines euaserunt elatiiores. Inducta iisdem crusta defluxit, patensque nunc cellulosa tela oculo, microscopii ope confirmatori, suppurationis initia ostendit. Hinc etiam paullo inquietior fuit somnus: nihilo minus tribus integris horis non est

in-

-QDEI-




11

interruptus. Die XXVI. dicti mensis vulnerum labia adhuc tumidiora et velut feruiae aquae adfusione adusta videbantur: sub epidermide vero renascente lymphaticus vapor colligi coepit. Anima, vt ebullitionis variolosae tempore solet, nescio quid subdulcis nauseosi odoris spirabat. Ceterum adeo temperata fuit febricula, vt aegrota et per diem potissimum a lecto abstineret, et noctu quoque satis placide dormiret. Succedente die valetudinis eadem fuit constantia: in foliis vulnerum marginibus paruae quaedam, sed satis distinctae, suborriebantur pustulæ. Tandem undecimo post infestionem die, qui erat XXVIII. Septembri, erumpabant variolæ, passim in facie manibusque consueto pustularum prouentu conspicuae: quarum tamen numerus uniuerso in corpore vix quinquaginta excedebat. Eo ex tempore singula erumpentium variolarum symptomata vna cum ipsa febre euauerunt, totiusque periodi, quae a natura suppurationi variolosae destinari solet, decursus fuit talis, qualem benignissimæ variolæ, ex medicorum obseruationibus, habent. Vix etiam putafles, *illuſtrissimam* hanc Comitem aegrotare: adeo firmæ erat valetudinis. Die Octobris quinto successit crustarum variolosarum deflussus, et absoluta demum perfecta earundem omnium

B 2

fin-



singularumque exsiccatione bis data sunt, quae aluum lenissime cierent, remedia. Quo facto ad XV. diem Octobris *illusterrima Comes* sana in columisque rediit domum.

§. IV.


Alterum exemplum.

Eodem fere temporis tractu, die nimirum XXV. Septembbris, anni nuper praeterlapsi, inseui variolas *illustri generosoque libero Baroni de GÖTTZ*, quindecim annos nato; praemissa tamen eadem, quam supra exposui, praeparationis methodo. Pus variolosum, quod inferendo adiplicui, nullius filii aut emplastri ope usus, fuit idem, ac prius. Subsecuto die nulla animaduersa est mutatio: sed XXVII. die Septembbris aliquem tensionis sensum in dextro brachio, ex inciso loco humerum versus, ad ipsius coracoidei musculi sedem, concepit *æger*, ceteroquin commode valens, ciborumque bene appetens, nec per proximam noctem inquieto somno turbatus. Qui proxime sequebantur, tres dies parum mutationis attulerunt. Hoc autem silentio omitti nequit, quod incisum dextri brachii vulnus paullo magis ruberet, et epidermis velut a feruida aqua perfusa atque

que contracta videretur. Illud autem, quod finistro incideram brachio, vulnus nullam subiit mutationem, sed denuo perfecte coaluit. Die I Octobris adhuc constans erat aegri valetudo. Proximo autem die, qui ab illata incisione erat octauus, variolae febris primordia obseruauit. Quippe aeger vespertino tempore de capitis dolore et intercurrente alterno horrore atque aestu febrili conqueri coepit, subsequentemque noctem habuit valde inquietam. Inter haec dextri brachii vulnus maiori, ac antea, inflammatione tactum animaduertebatur. Idem fuit tertio Octobris die aegroti status. Proximus dies auctiorem attulit febrem, aegerque, de vertigine atque nausea questus, lecto adfixus esse debuit, euomuitque hora post meridiem quartam copiosam colluuiem amaram, acore mixtam: quo facto sensim euanescere visa est nausea, subsequensque nox satis quiete est transacta. Ad V. diem Octobris continuabatur febris et capitis dolor; vesperi vero, hora circiter decima, faciem manusque aliquot occupabant maculae rubicundae, erupturas variolas praefignificantes. Ad haec diarrhoea superuenit, cum constante tamen pleno arteriarum pulsu. Succedente nocte nulla aderat quies: quo in statu tanta, per vniuersum corporis ambitum variolarum prodiit co-

B 3

pia,



pia, vt etiam in facie passim confluenterent. Eadem
eruptionis periodo, binis, qui sequebantur, diebus
aliius manebat fluxa, variolarum tamen egressui haud
aduersa, quod arteriarum non concideret vis atque
ictus. Cesserat quoque nausea, minusque dolebat
caput, neque somnus eadem nocte erat turbulentus.
Die VIII. Octobris, remittente diarrhoea, variolosae
pustulae suppurrare coeperunt. Postero die, ingra-
uescente denuo febre, intumuerat facies aegri, oculis
tamen prae tumore non connuentibus. In eo-
dem statu persistit morbus per diem X. et XI. Octo-
bris. Inicii dein iussi emolliens clyisma, quod biduo
alius esset compressa; quae bis exinde est soluta.
Proxima nocte satis placidus fuit somnus. Die XII.
Octobris ante meridiem satis recte erat aegro: ine-
unte vero vespera augebatur febrilis aestus cum
pleniori atque celeriori arteriarum pulsu. Nox tur-
bulenta, pustularumque velut ardens erat pruri-
tus. Eam ob caussam singulis binis horis dedi ae-
groto cochlear apozematis, ex peruviano cortice pa-
rati. Hinc postero die sedatus est nonnihil aestus
molestusque variolarum ardor, incisumque dextri
brachii vulnus suppurravit. Quod alteri brachio in-
flictum erat, non conceperat contagium. Die XIV.
Octobris decocti istius chinati vsum continuauit, sa-
tis-

tisque bene valuit aeger. Quae in facie sedem fixerant, variolae in exsiccationem inclinabant, vtraque vero manus inter haec intumescebat. Nox satis quieta. Subsecuto die omnia redeuntem commodam valetudinem spondebant.

§. V.

Idem argumentum.

Verum enim vero vana fuit exspectatio. Tametsi enim antemeridianis horis, die XVI. Octobris, aeger commodissime valeret, et iuscculo gallinaceo non sine adpetentia vesceretur: tamen post meridiem ex inopinato res in peius mutari coepit. Quippe ex lecto surrexerat aeger, seque, me prorsus incio, integris fere tribus horis efficaci aëris iam satis frigidi exposuerat tractui: vnde subito febrili corruptus horrore repetit lectum. Altero die post minister, quo in deponendis vestibus vsus erat, adfirmavit mihi, pedes, pustulis variolosis adhuc obseffos, eo tempore apparuisse prorsus liuentes. Per noctem superuenit insignis intestinorum dolor, omnem excutiens somnum. Die XVII. Octobris, cum inuiserem mane aegrum, ipse, quae heri acciderant, mihi retulit, simul de acerbissimis doloribus hypochondri-




chondria finistri lateris occupantibus, vehementer
questus. Haud vanis argumentis motus, ab hester-
na frigefactione materiem variolosam ex pustulis in
bibulas venulas esse retroactam, suoque ad intestina
decubitu istos excitasse dolores, iudicabam. **Vt**
constipatam exinde aluum blande alleuarem, simul-
que coercitos flatus foras pellerem, iniiciendum cu-
raui sequentis formulae clysma: Recipe decocti flor.
chamomill. vnc. sex; olei cocti chamomill. lilior.
albor. ana semunc. nitri depur. drachmam. M. f.
clyster. Bis huic remedio obsecuta est aliuus. Ad
intensissimos autem istos intestinalium cruciatus quo-
modocunque leniendos sequentia praescripsi. Ex-
trinsecus inunctum est abdomen hoc linimento: Re-
cipe theriacae Andromachi, olei nuc. mosch. ex-
press. ana drachmam; castor. croc. balsam. peruvian.
ana semidrachmam; olei dest. iuniper. caryo-
phyll. ana gutt. decem: M. f. linimentum. Inter-
no vero usui sequens data est mistura: Recipe anim.
rhabarb. semunc. effent. cortic. aurant. spirit. ni-
tri dulc. ana drachm. duas; laudan. liquidi Sy-
denham. scrupulum: M. d. f. singulis ternis horis
sexaginta guttulae cum theae infuso adsumenda.
Sed dolorum intestinalium vis hac ipsa medicamen-
torum efficacitate fuit maior. Proinde sera vespera
-nodo-
repe-

repetii emolliens clyisma, simulque interne dedi sequentem linctum: Recipe olei amygdal. dulc. recent. express. vnciam; spermat. ceti drachmam; camphorae grana duo; syrup. papauer. alb. vnciam: M. d. s. singulis horis duo cochlearia minora huius jinctus forbenda. Primam dosin adsumtam denuo vomitu reiecit aeger: altera vero dosis, post horam adsumta, remansit. Clysteris efficacia nonnihil aluinorum fecum est expulsum. Inde minui coepit abdominalis dolor, et superueniente blanda perspiratione, successit non contemnenda noctis quies. Verum enim vero haec tranquillitas parum fuit diuturna. Quippe die XVIII. Octobris mane efficacissimo vomitu copiosam faburram biliosam reiecit aeger. Arteriae micabant ictu minimo celerrimoque. Aegroto igitur, quod supra memoratum linctum minus aequa perferret, hanc praescripsi mixturam, quam medici vulgo dicunt, concentratam: Recipe liquor. anod. miner. Hoffmanni, spirit. bezoard. Buffii ana semunc. cuius datae sunt singulis ternis horis triginta guttulae. Cui interdum interpositus est sequentis emulsionis usus, qui in singulas doses uno vasculo minori, infusi theae forbitionibus accommodato, definiebatur. Rec. amygdalar. dulc. excorticat. femin. papauer. alb. ana semunc. aquae cerasor. acidor.

C

fam-



sambuc. scabiosae ana vnc. quatuor; f. emulsio, collat. adde syrup. de alth. Fernelii fescunc. M. Ad haec oleo amygdalarum dulcium camphorato inunctum mane vesperique est abdomen: potuque ordinario deflinaui infusum florum chamomillae theiforme. Qua ratione satis manifeste sedari coepit intestinalis dolor; adeo, vt aliquot horarum somnus sequeretur. Succedente die XIX. Octobris mane, hora circiter sexta, recruduit vomitus. Proinde cum theae infuso, singulis binis horis, propinaui aegro triginta guttas sequentis mixturae: Rec. spirit. bezoard. Buffii, liquor. miner. anodyn. Hoffmanni, ana drachmas duas, laudan. liquid. Sydenhami duo scrupulos; misce. Singulis ternis vero horis praediō oleo camphorato abdomen inungi iussi. Nec neglectus est emollientis clysmatis, nitro remixti, vsus. Praeter haec animaduertens paruum, celerem, et inaequalem arteriarum pulsum, suris vesicantia applicui remedia. Quo factō accidit, vt in eunte vespera paullo elatior, tardior, aequaliorque euaderet arteriarum nifus, spastica abdominis immi-
nueretur constrictio, lotiumque paullo copiosius ex-
cerneretur. Ut ut haec erant, tamen ad octauam horam vespertinam denuo redit vomito, continua-
to nuperrimae mixturae vsu repetitoque clystere

mox

mox sedata. Insigniter enim perspirareoccoepit
aeger, placideque dormiuit. Die XX. Octobris
laetabilis fuit aegroti valetudo: appetere enim sibi
visus est cibum, gelatinamque, ex pedibus vitulinis,
vini rhenani pauxillo, citriue succo confectam, sub-
inde non inuitus, ad vnum alterumue cochlear ad-
sumfit. In prioris mixturae vsu perrexit, bisque
versus vesperam leuauit sua sponte alium, magna ex-
crementorum copia liberatam. Hinc quietissima
nox. Neque hic ipse aegrotantis flatus postero die
est mutatus: donec, itidem octaua hora vespertina,
subito pristinus dolor intefinalis incredibili cum ve-
hementia recrudesceret, accedensque atrocissimus
vomitus aegroto extrellum vitae periculum minare-
tur. Hunc supremi fati metum augebant ad haec ar-
teriae admodum paruo, celeri, atque intermitte
ictu micantes, tendinumque in artuum extremis sub-
fultus frequentiores. Ergo repetii vesicantium ap-
plicationem, olei camphorati inunctionem, clysmas
tisque carminatiui, ad consuetam pharmacopoeo-
rum formulam confecci, vsum. Interno vero vsui
praescripti singulis sex horis viginti guttulas sumen-
das olei cuiusdam bezoardici, quod in medicamen-
tariis tabernis vulgo a WEDELIO cognomen accepit.
En formulam! Rec. olei amygdalar. recent. expressi,

C 2

cam-



camphorae semiscrupulum; soluat. et detur. Ab huius vsu mox remisit vomitio, lenitique sunt infinitorum cruciatus, successitque, ineunte blanda perspiratione, aliquot horarum somnus.

§. VI.

Eiusdem argumenti continuatio.


Die XXII. Octobris copiosa accessit diarrhoea: cuius ope magna vis fecum aquosarum biliosarumque, et valde putrido foetore infectarum, est eiecta. Haufit, ordinarii potus loco, aeger oryzae ptisanarium, perrexitque in olei bezoardici vsu. Molesta abdominis tensio imminuebatur, arteriaeque tardius atque plenius pulsare incipiebant. Sed ventris fluxs adeo perficit, vt ad leuandam aluum aeger vix horae interuallo continere se lecto posset. Eo confilio, quod iam maxime eneruatum animaduerterebam aegrotum, die XXIII. Octobris sequens dedi elixirium: Rec. extract. cortic. cascarillae aquosif, duo scrupulos, solue in aqua menthae vnc. sex, solut. adde liquor, anod. mineral. Hoffm. drachmam, syrup. cinnamom. q. s. ad gratiam; M. d. s. singulis ternis horis vnius cochlearis dosis exhibenda. Eiusdem medicamenti usus quoque fuit die XXIV.

Octo-

Octobris; pulmentum ex oryza coctum in cibum, sequensque apozema in potum admisi: Rec. radic. chiae, vnciam; cassiae ligneae semunc. conc. decoquantur cum tribus aquae mensuris, et colentur. Abdomini superimponi iussi hoc emplastrum: Rec. emplastr. de crusta panis, de tacamahaca ana vnc. duas, malax. cum oleo destill. menthae, macis, ana scrupul. vno, M. f. emplastrum. Nec dum quidem desierant abdominalis dolor atque diarrhoea: longe remissius tamen, ac antea, aegro incommodabant. Binis subsequentibus diebus in supra memorati elixirii vsu pergebat aegrotus: vnde manifeste imminutus est ventris fluxus, quippe diei noctisque interieetu vix quinques accedens. Ergo, vt abdominalium viscerum robori reparando efficacius inferirem, die XXVII. Octobris sequentis elixirii visceralis proposui usum: Rec. extract. gentian. rubr. melissae, cortic. aurantior. cascarill. aquofsi, ana semidrachm. solue in aquae meliss. vir. vnc. tribus, solut. adde essent. cortic. aurantior. semunc. M. d. f. singulis fenis horis LXX. gutt. sumenda. Permisi quoque aegro esum iusculi gallinacei, cum oryza cocti, paucillumque carnis, ex perdicis pectore desumptae. Ex hoc tempore, ad Octobris mensis exitum usque easdem tam viuendi, quam medendi, imperauit ratio-

C 3

nes:



nes: vnde euidenti effectu ex incommoda valetudine
emergere coepit aeger. Prorsus enim fere euanue-
rant et abdominis dolor, et alui fluxus, fecesque na-
turalem indolem recuperarant. Ad haec cibos com-
mode appetebat, beneque dormiebat aeger; adeo,
vt nunc, redeuntibus viribus, per vnam quotidie hor-
ram lecto abstineret. Die I. II et III. Nouembris
medicamentorum priorum vsus est continuatus. Sed
pertaesus aeger amaritudinis, quae praedicto elixirio
inerat, aliud die IV. eiusdem mensis a me accepit se-
quentis formulae: Rec. extract. cortic. cascarill.
aquosi drachmam, solue in aquae cinnamom. vin.
menthae ana vncia; solut. adde liquor. anod. miner.
Hoffmanni drachmam, syrup. cinnamom. q. s. ad
gratiam: M. d. s. quater per diem in singulas doses
sexaginta gutt. adsumendae. Interiectis, qui seque-
bantur, quatuor diebus eiusdem medicamenti con-
stans fuit vsus. Quo facto, aluo, cibi appetentia,
somnoque recte et naturae conuenienter se habente,
adeo insignis fuit virium restauratio, vt totis diebus
lectum desereret aeger. Verum enim vero febrilis
aestus, ineunte vespera ingruens, sudoresque nocturni
superuenientes me permouerunt, vt nono No-
uembris die, singulis binis horis, vnicam minoris
cochlearis dosin sequentis proponerem electuarii su-
men-

mendam: Rec. puluer. cortic. peruvian. semunc. extract. cortic. cascarill. aquosi duo scrupulos, syrūp. cortic. aurantior. q. f. vt fiat electuarium. Cuius remedii vſus poſtquam ad diem XXI. Nouembris erat protractus, aeger, depulſis omnibus, quae paulo ante memorauit, ſymptomatibus, perfectae redditus eſt sanitati. Ergo ſepofitum quoque eſt electuarium, et, vt adhuc primarum viarum robori subuenirem, binis hebdomadibus ſequenti mixtura mane vſperique vſus eſt aeger: Rec. eſſent. aurantior. ſemunc. ſpirit. nitri dulc. drachm. duas: M. d. f. quaelibet doſis ſexaginta guttularum. Atque ſic demum generoſiſſimus aeger ſanus laetusque patriam domum reuifit.

§. VII.

Scholion.

Tametsi per tot vitae diſcrimina tandem emerſit aeger, temperare tamen mihi non poſſum, quin, quae quinto poſt variolarum iſfitionem die proſuſ fortuito acciderant caſu, breuiter hic enarrēm. Scilicet praedicto die accessit ad me vir quidam, conſilium meum imploraturus ſuper liberorum ſuorum vno, qui variolis naturalibus, ſed peſſimi-

ge-



generis; confluentibus, gangraenosis, et per intermixtas petechias distinctis, [grauissime laborabat. Haud ita multo ante aeger in meum se contulerat conclave: in quo ante memoratus vir, praeter aegrum, cum ego domo abessem, neminem alium deprehendit, quocum, meum redditum praestolatus, per duas fere horas conuersatus fabulatusque est. Diclus autem variolosi infantuli parens, sicuti deinde ab ipso comperi, eadem veste lanea indutus, toto fere die suum puerulum brachiis sustinuerat gestaueratque; quod in parentis vlnis maius dolorum lenimen sentire sibi videretur. Atque haec ipsa res mihi visa est memoratu omnino digna: quod haud inani exinde confici posse existimamus conjectura, quo arctius frequentiusque hic parens cum filio suo in mutuo fuit contactu, eo magis quoque eundem ipsum varioloso miasmate abundare oportuisse; in primis quod ad haec laneus accederet vestitus, quippe, ut aliunde constat, animalis contagii longe capacissimus. Verum enim vero quae clinicus medicus, probabili saltem consecutione, in suam rem conuertere potest, sequenti capite luculentius persequemur.

SECTIO

SECTIO POSTERIOR DOGMATICA.

§. VIII.

Epicrisis.

Heu! inquieris, in quantas ergo et quam ancipes vitae valetudinisque difficultates iniicere potest variolarum infusio, si posteriori loco expositum spectaueris exemplum! Inficiari non audeo, si generosus iste iuuenis praematuero occubuisset fato, omnem mortis culpam certissime soli huic rei esse adsignatam, quod aeger variolosum miasma fibi inseri esset passus, adeoque temere sua fata praeoccupasset. Neque ego adeo sum obesae naris, quin praefentire possim, de saluberrima hac methodo, quae nunc in vniuerso fere terrarum orbe tot hominum vitas a praecoci supremae necessitatis obsequio vindicauit, et nunc demum apud nos in Polonia vix caput efferre coepit, denuo esse actum, si illaetabilis huius exempli fuisset euentus. Verum enim vero salua adhuc variolosae infusio[n]is est cau[er]a et intaminata dignitas! Immo, si vel maxime adeo fuisset infelix, ut, quem optimae indolis materie variolosa infeceram, maligniorum exanthematum yi atque efficacitate

D

tate



tate amitterem: video tam mihi magnam luculentissimorum argumentorum habere vim, quibus apertissime euinci demonstrarique potest, tot tamque multiplicita vitae discrimina, tot atrocioris naturae symptomata, quibuscum noster aegrotus per vniuersum morbi sui decursum est colluctatus, non nostrae, quae incisis vulnusculis illata erat, sed alienae naturali, et ad haec maligniori, infectioni in acceptis esse refenda. Haec sunt, quae nunc differere adgredior. Ego vero non rectius hanc rem actum iri existimo, quam si *primo* viis corporis humani, quibus singulare hoc suscipitur miasma, inuestigatis, *deinde* omnibus singulisque symptomatibus, quae vario infectionis variolosae generi superuenire solent, curate expensis, *tandem* vniuersa inter se conferam, et cum praesenti, quod antea recensui, exemplo conparata proponam. Ita enim fore arbitror, ut liquido constet, hoc in aegroto, si non simplicem naturalem, ex aëris contagio ortam, at certe duplificem, tam ex infestatione, quam ex inquinata atmosphaera accidisse infectionem. Nolite autem non exspectare solum, sed postulare, lectores, ut nos in subtiliorem originis, naturae, generisq[ue] itemque singularium proprietatum, ad variolosum miasma pertinentium, indagationem demittamus. Partim enim

enim haec omnia longius ab instituto absunt nostro: partim vero, si vel maxime eidem essent consentanea, nostris temporibus plane futura essent superuacanea, postquam insignis summorum virorum, et exquisita praesertim morborum cognitione celebratissimorum, numerus eandem operam versarunt. Cur enim vobis memoremus SYDENHAMOS, FREINDIOS, MEADIOS, SYLVIOS, CAMPEROS, TISSOTOS, PAVLETOS, MENVRETOES, HAENIOS, HAHNIOS, TRALLESIOS, WERLHOFFIOS, VIOLENTEOS, PLENCIZIOS, WRISBERGIOS, HOFFMANNOS, et quos non? quorum omnium in definiendo varioloso contagio adhibitas operas neminem medicorum ignorare oportet.


§. IX.

Infectionis viae.

Quibusnam autem viis variolosum hoc virus, aequae ac reliqua animalis prosapiae miasmata, humandum intret corpus, vitalesque subeat humores, difficillimum expeditu nemini omnino videri potest, quicunque vel primas anatomiae physiologicae tetigit lineas. Quippe patent vndeque, siue externum species humanae fabricae ambitum, siue in-

D 2

terna




terna quaelibet intuearis caua, quorum finis alicubi
in externa nostrae machinae superficie hiat, parua
oscula, ex quibus bibulae progrediuntur venulae,
tandem in maiores ramos, et hinc in ipsos truncoſ,
qui cum cordis cohaerent cauis, definentes. Hae
ergo ſunt ipsae illae viae, quaeſ ſuceptum in osculis
miasma, ſub continuo fuorum humorum ad cor redi-
tu, ad interiora ſecum rapiunt, ſuis, quos vehunt, li-
quoribus vorticoso motu intestino permifcent, de-
mumque ad cor deducunt, a nouo hoc alienoque
irritamento in concitatiores contractiones, pro ea,
qua praeditum eſt, ſumme irritabili natura efficaci-
ter absoluteque rapiendum. Verum enim vero tam
in modo, quam in gradu huius irritationis aliquid
ſubefce discriminis, nemo non intelligit, niſi anato-
micorum dogmatum prorsus fit ignarus. *Primo*
enim singularum iſtarum, quas diximus, venularum
finis duplex omnino eſt: aliud enim in venae cauae
truncum, tandemque auriculam et ventriculum cor-
dis anteriorem definfit; aliud vero in pulmonales ve-
nas et caua cordis posteriora. Ad ultimum hoc ge-
nus pertinent ſola illa oscula, quae in vniuerso bron-
chiorum veficularumque pulmonalium tractu aer ex-
ternus, inspirando adductus, contingit; fi iſta hic ex-
cepereis, quae brochialibus, quas anatomici dicunt,

venis

venis respondent. Ex priori vero genere sunt omnia reliqua ista oscula, quae partim toti integumentorum vulgo sic appellatorum communium, externos corporis humani terminos ambientium, superficie sunt velut insculpta, et ad venulas pergunt, et *aqueas* tandem recto itinere venae cauae inseruntur; partim in iis cauis hiant, quae extrinsecus patent, et ad pulmonum systema non spectant. Ex quibus, quae primarum viarum tractum perreptant, portarum venam primo adeunt, anteaquam huius interuentu cum caua vena coniunguntur. Deinde diffiteri omnino non possumus, sanguinem, ex pulmonibus reducem, quem vulgo arteriosum cognominant, tam mixtione, quam densitate nonnihil ab eo esse diuersum, quem caua vena ad cor refundit, communi venosi sanguinis nomine notum: licet illustris ALBERTVS de HALLER (a), quem ceteroqui reuerenter suspicimus, suis nonnullorumque aliorum virorum experimentis permotus, contrariam sententiam tueatur. Ut enim de controuerso adhuc diuerso vtriusque sanguinis colore et pondere specifico taceamus, neminem, quicunque haec repetit tentamina, existimamus negaturum: partim in arterioso sanguine difficilis separari a cruento serum, quandocunque quiet,

D 3 scit,

(a) In *Elementor. physiolog.* Tom. II. pag. 6. sequent.



scit, in venoso contra facilius; partim istum priorem abundare adhuc omnibus illis diuersae animalis vegetabilisque originis particulis alienis, quas nuper et proxime ad cor adfusus venae cavae sanguini chylus secum aduexit, posteriorem vero iisdem maxima ex parte esse liberatum, quoniam tot tamque diuersa, circa venularum exortus posita, cola easdem exhauserunt; partim denique sanguinem, arterias permeantem, in toto suo itinere aduersus harum angustias impulsusque niti oportere, in venis vero prono fluere alueo, et vbiique capacioribus vasis infundi. Ex quibus omnibus singulisque saltē liquida confici potest consecutione, ut vtrique praedictō sanguini prorsus eadem neutiquam attribui possit indeoles, *κράτης*, densitas, grauitas, et cetera. Postremo denique considerare quoque nos oportet, quod sinistri ventriculi robur impulsusque in sanguinem, et forte, nisi fallimur coniectura, irritabilitas etiam atque stimuli impatientia longe maior efficaciorque sit, quam dextra. Ex quo etiam sequitur, ut quodecumque irritamentum, quo minus in sanguine est subactum atque inuolutum, eo vehementiores quoque motus in posteriori cordis ventriculo sit excitaturum.


§. X.

§. X.

Variae infectionis variolosae symptomata.

His igitur praemissis haud adeo difficilis videatur tot tamque variorum symptomatum explicatio, quae variam infectionem variolosam comitantur. Ex quo, inferere variolas, mos inualuit, pathologi infectionem hanc siue miasmatis variolosi communicationem dispescere solent in *naturalem*, quandocumque miasma hoc inscio et inopinanti aegro per aëris, hoc contagio foeti, inspirationem aut per contactum eiusmodi corporum, quibus hoc virus inhaeret, admouetur et a bibulis venulis sorbetur; et in *artificialem*, si leuioribus vulnusculis incisis aut etiam acu punctis, itemque, Italorum more (b), vesicante remedio effectis, pus variolosum immittitur, aut efficiaci frictione illinitur, ut venarum sorbitione humoribus admisceatur. Omnia igitur medicorum nostrarum aetatis consensu *naturales* variolae solis illis subtilissimis debentur exhalationibus, quae ex aegrotante, variolis laborante, aut aliis, quibus cum eodem fuit commercium, aut denique quibuslibet corporibus, eodem aegroti variolosi halitu vaporesque

b) Confer I. I. MENVRET *Unterricht wegen Behandlung der Pocken und Masern*; pag. 337.



que perspirabili infectis (c), spirant et in atmosphaera diffunduntur. Proinde naturalis infectio per so-
las fere respirationis vias alios inuadit homines, cum-
que aëre adducta bronchialem pulmonalium vesicu-
larum attingit mucum, et ob salinam, vt videtur,
miasmatis naturam eidem expeditissime inhaeret,
sorbeturque pedetentim ab osculis venosis illinc pa-
tentibus, miscetur sanguini, iam in arctiore suorum
elementorum coniunctionem perducto', tenaciusque
retinetur; adit adeo sinistrum cor, prae dextro lon-
ge validiorem carnem, hinc etiam numerosiores
neruos, vehementioremque vim irritabilem nactum,
et inde demum cum inuolucro suo sanguineo con-
tra renitentes arteriarum conos et arcuatos anfractus
impellitur, vt iterum ad confinia vltimorum rami-
lorum subcutaneorum delatum miasma suos exitus
quaerat. Hinc, pro diuersa huius miasmatis copia
atque indole, et forte etiam varia humorum vitalium
constitutione, omnis ille symptomatum multiplicium
enascitur complexus, qui naturales variolas haud ra-


ro

c) Quis enumaret infinita huius generis exempla, quae in omnibus
fere commentariis, qui variolarum historias sunt complexi, lu-
culentissima exstant? Confer, verbi causa, celeberrimorum,
PAVLI GOTTLIEB WERLHOFF comment. de variol.
et anthrac. pag. 16. C. L. HOFMANN'S Abhandlung von den Po-
skten; I. Theil, §. 242. et alios.

ro pericolas funestasque reddit. Hinc ebullitio variolosa violentior, saepe conuulsorum neruorum efficacitate egens; hinc frequentes inopportunae pessimi miasmatis ad nobiliora aut saltem sensibilia loca metastases; hinc etiam secundaria febris acrior et suppuratio saepenumero interrupta, gangraenosa atque sphacelosa; hinc denique, *quod per singula membra venenum infudit natura homini*, per multorum illae-tabilem stragem fit ominosum. Contra ea artificiales et insituiae variolae longe blandioribus et expeditioribus viis humana corpora ingrediuntur. Partim enim ipsum miasma variolosum plerumque, pro medici insitoris arbitrio et selectu, blandae naturae, et laudabili pure temperatum effet solet; partim, in purissimo aere et post primarum viarum tractum com-mode a colluuiie purgatum, inseritur haud aliis locis, quam eiusmodi, quae per longiora propaginum, ad cauam venam pertinentium, itinera idem hoc for-
ptum miasma cum sanguine miscent blando venoso, multis inquinamentis salinis per cola iam liberato, tandemque per lymphae chylique adfusionem diluto, et sic anterioribus cordis cauis, satis quidem irritabilibus, minus tamen robustis validisque, infundunt. Hinc etiam omnia symptomata mitiori ingressu hic superueniunt, febricula prior moderatissima, sécun-

E

daria



daria plerumque absens, pustulae pauciores et infrequentiores, suppurationis commodissima, vitiumque factura nulla; nisi forte aut diaetae, aut regiminis, quod in medicorum scholis dicitur, erroribus insidiae parentur vitae valetudinique, quae nunquam aliquin sub huiusmodi variolarum decursu in discrimen esset ventura.

§. XI.

Ante disputatorum collatio.

Supereft, vt, quae nunc disputauimus, cum ante expositis exemplis breuiter conferamus. Haud est obscurum cognitu, quotiescumque per incifa vulnera, sive haec brachii intuleris, sive, vt alii solent, pedibus, variolosa materies homini cuidam inseritur, toties quoque miasma hoc per venae cauae systematis itinera ad interiora illabi, adeoque etiam iisdem ex argumentis, quae paullo ante definiuimus, omnia, quae hinc superueniunt, symptoma, febriculam, ab ebullitione cognominatam, pustularum variolosarum numerum atque indolem, suppurationisque modum, et cetera, blandissimi atque benignissimi fore generis. Vnde etiam infinitarum obseruationum apparatu sa-
tis abunde constitit, quoniam paucissimae plerumque ab infiſione efflorescere solent pustulae, raro alteram illam atque secundariam, cui a suppuratione cognomen est, accedere febrem (d). Atque hic fuit ipius exempli, quod primo

^{d)} Confer I. KIRKPATRIE Erläuterung der Einpfropfung; pag. 374. seg.


primo recensui loco, status euentusque. Verum enim ye-
ro si forte accideret, vt eo tempore, quo variolarum infi-
ctio est instituta, in primis circa ebullitionis periodum, aliud
naturale contagium ex improviso irrepat, adeoque per
pulmonales venas tandem sinistro cordi proxime se immit-
at, tunc profecto nouum illud accessorium virus naturale
iam ab infictio et nunc velut ebulliente miasmate irritatum
cor vehementius lacesset, vitalesque humorum motus acriter
turbabit. Quanto grauiora cum erunt eiusmodi ae-
grotantis symptomata; cum in simplici illa naturali infe-
ctione, sicuti paullo supra a nobis est expositum, et quotidi-
ana fere experientia confirmatur, saepe numero satis sit
periculi discriminisque, ipsi aegrotantium vitae infest. At-
que haec videtur fuisse aegrotantis nostri, cuius historiam
secundo dedimus loco, conditio: licet haud negemus, dif-
ficile omnino esse atque ambiguum definitu, vtrum in
aegroto hoc illatum per incisiones nostras virus va-
riolosum vere actuosum evaserit, an forte pessimae
istae variolae, quae sunt secutae, soli debeantur con-
tagio naturali? Parum abest, quin posteriori huic senten-
tiae me adiungam, aegrumque hunc non ab infictio-
ne, sed a sola naturali infectione in variolas aeti-
mem coniectum. Tametsi enim istae molestae bra-
chii tensiones, quas tertio post incisa vulnera die sensit ae-
ger, exortae ebullitionis variolae, ab efficaci miasmate
concitatae, suspicionem mouere possint: sequentia tamen
Φωνέα in contrariam me deducunt opinionem. Pri-
mo enim in inciso sinistri brachii vulnera nullum animad-
uersum est susceptae materiae variolae indicium: quan-
doqui-



doquidem nec cicatrix quidem superfuit, quae, ex tot medicorum obseruationibus, infitionis locis nunquam de-est, si vel benignissimo progressu infitiae variolae succe-ferunt. Porro in dextro brachio, cuius vulnus suscepisse contagium putari posset, non ea effloruerat pustularum copia, quae ceteroquin circa infitionis confinia deprehendi solet. Singulorum denique symptomatum, quae hoc in aegroto obseruui, ratio ita erat comparata, vt tam eruptionis, quam exsiccationis tempore, atrocitate atque vehementia longissime ea superarent, quae vnuquam in infitiarum variolarum decursu deprehendunrur. Vnde haud incongrua argumentatione conclusi, praeditum generosissimum aegrum non ex ea, quam incisis locis indi-deram, infectione, sed ex eo contagio, quod quinque diebus post ex colloquio cum filioli cuiusdam variolosi pa-rente contraxerat, in pessimas istas incidisse variolas. Ut-cunque haec fint, tamen hoc saltet exemplo moniti di-scent lectors benevoli, medicique circumspeti: sub infituenda variolarum infitione nihil aequae esse consultius commendabiliusque, quam vt ab infituis variolis naturale contagium summa cura atque prouidentia arceatur. Namque, vt in veteri peruvulgatoque est proverbio:

Turpius eiicitur, quam non admittitur hostis.





B.I.G.

Black

Farbkarte #13

Centimetres

Blue

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE
CONTAGIO NATVRALI
AB INSITIVIS VARIOLES
CIRCVMSPECTE
ARCENDO

PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VITL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. I. MAII CICCLXXX.

IN ARTE MEDICA ET CHIRVRGICA
DOCTORIS DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLICE DISSERET

AVCTOR

SAMVEL GODOFREDVS LEISSNER,

LESNA - POLONVS,
AVGVSTISSIMI POLONIARVM REGIS
▲ CONSILIIS AVLICIS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

Lena F